



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1735. usque ad annum 1737

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1786**

**VD18 90119347**

§. 1. Bellum Caroli VI. Cæsar is contra Turcas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67868](#)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1737.

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
CONTINUATÆ.  
*LIBER CCXXX.*

CLEMENS. XII. PONTIF. MAXIM.  
CAROLUS VI. ROM. IMP.

§. I.

*Bellum Caroli VI. Cæsaris contra  
Turcas.*

Hunc currentis sæculi annum trigemini septimum auspicamur a bello Turcico Cæsareis armis parum fusto. Occasio illius erat hæc: Mahomet V. Ottomaniæ Imperator, cum fedatis Polonorum turbis, & confecta cum Persis pace nil, quod hostile timeret, habere videbatur, pro inquieta sua indole Moscoviam infestare statuit; ne vero in se fractæ pacis recens initæ calamniam accerseret, clam cum supremo Crimeæ seu Tartariæ Minoris Principe consilia cudit, eumque subministrato copioso armorum apparatu, in-



A.C. 1737.

gentique pecuniarum vi sollicitavit, ut Sæc. XVIII.  
collectis octoginta Prædatorum milli-  
bus Daghestanam Provinciam Russis  
eriperet: Sultani consilium pronis au-  
ribus amplectitur Princeps prædas ac  
latrocinia jam ex antiquo, tanquam  
artem exercere assuetus. Primum  
igitur impetum in Ukraniā intentat,  
& non tam ad confirmandum quam per  
novas cædes atque injurias proferen-  
dum imperium conversus, quicquid in  
propinquo remotoque populorum erat  
extra ditionis suæ fines armis aggredi-  
tur, totam Provinciam internecinis tu-  
multibus evertit, & viginti incolarum  
millia in diram servitutem abigit. Id  
factum, cum Constantinopoli innotes-  
ceret, verisimilis Sultanus ignorantia  
alienam crudelitatem excusavit, & si-  
cta miseratione pollicitus est, non mo-  
do illatum a Tartaris damnum resarcit-  
um iri, sed ipsum Principem per suum  
Filiū injuriæ veniam rogaturum. At-  
tamen Anna Magnæ Russiæ Imperatrix  
nullam in Turcis fidem esse, non uno  
experimento edocta, Münnicho Belli-  
duci suo mandatum dedit, ut cum suis  
copiis in Tartariam irrueret, & Tana-  
idem gravi obsidione premeret. Ut  
autem universo Orbi Russicæ expeditio-  
nis æquitas patesceret, Ostermanus  
comes Imperii Pro-Cancellarius pub-

D d 2 lico

Sæc. XVIII.  
A. C. 1737.

lico scripto belli caussas exposuit; vicil-  
sim autem Mehmet Baffa supremos  
Vezirius inaudita arrogantia in suo re-  
sponso ad Europæ Principes dato im-  
motam Ottomanæ Portæ fidelitatem  
multis extulit violatam, a Russis pacem  
incusavit, eisque non nisi ex misera-  
tione ad eorum preces armorum ce-  
fationem fuisse ad Hirasum fluvium in-  
dultam jaicitavit, ac denique conclu-  
fit, ob quasvis injurias privatis in fi-  
nibus sine vicini Principis præcitu &  
voluntate illatas non statim ad arma  
esse recurrentum. Interim Münnichus  
Tanaidem urbem expugnavit, & trans-  
censis Præcopensibus aggeribus Koslo-  
vum Crimensis Principis Metropoliæ  
(Baziaserai vocant) post cruentam ob-  
sitionem, non sine opima præda  
(tanti laboris & tot periculorum pre-  
cio) cepit. Infaustus hic armorum suc-  
cessus Sultanum paulo mansuetiorem  
reddidit, qui etiam maritimos Prince-  
pes, ipsumque Carolum Romanum Im-  
peratorem sollicitavit, ut inter ipse  
& Russos medias partes agerent: cum  
autem ipse propositas concordiae leges  
respueret, nec de pace agi patereatur,  
nisi intra Turciæ fines Ministrorum  
congressus fieret, & præceteris Tannis  
redderetur, res ad belli necessitatem  
spectare videbatur.

§. II.